

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, *Imago mundi*, ed. Valerie I. J. Flint, Vrin 1983.

cap. 36–48 *De mensibus Romanorum*

36. Romulus Romanis .x. menses ordinavit quorum primum Martium a Marte qui in hoc mense in frigia natus est nominavit cuius se filium falso predicavit. decimus vero Decembrem appellavit. Numa vero Pompilius .ii. Ianuarius scilicet et Februarius adiecit. sunt autem menses Romanorum ab idolis a rebus a regibus a numeris dicti.
37. primus Ianuarius dicitur a Iano deo principii eo quod hic mensis est principium anni. dicitur et a Ianua eo quod per eum intret annus.
38. secundus Februarius a Februo id est Plutone deo infernali cui hoc mense sacrificabant dum civitatem in eius honore luminibus lustrabant. dicitur etiam a febre id est a frigore quia frigidum est illud tempus.
39. tertius Martius a Marte deo belli Patre Romuli auctoris Romane gentis cui Marti milites hoc mense sacrificabant. dicitur etiam a maribus eo quod cuncta animantia tunc mares desiderant.
40. quartus Aprilis ab Afrodisi vel Afrili id est Venere dea amoris cui consecratus erat hic mensis. dicitur etiam quasi aperilis eo quod aperiat terram in flores.
41. quintus Maius a Maio id est Iove quasi a maiestate sive a Maia matre Mercurii cui mercatores hoc mense sacrificabant. dicitur etiam a maioribus scilicet principibus Romanorum qui hoc mense Iovi immolabant.
42. sextus est Iunius a Iunone dea regni dictus cui erat consecratus. dicitur etiam a iunioribus qui armis Romam defendebant et regni fastigium e Iunone affectabant.
43. septimus est Iulius a Iulio Cesare qui in hoc mense imperator creatus et in deum est relatus. hic prius Quintilis dicebatur eo quod quintus esset a Martio qui primus erat institutus a Romulo.
44. octavus Augustus ab Augusto Cesare qui in hoc mense victor exstitit et Romanum imperium adauxit ideoque deitatem promeruit. hic prius Sextilis est dictus eo quod a primo Martio esset sextus.
45. nonus September quasi septimus imber.
46. decimus October quasi octavus imber.
47. undecimus November quasi nonus imber.
48. duodecimus December quasi decimus imber. sunt enim hi menses pluviales et ideo nomen a numero et imbre habentes.